



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

15. Septembris. Nec corporis, nec passionum mortificatio differenda est in senium, quod & incertum est, & severitatem non partitur. S .Ignat. apud Nolarci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



perit publicano, parit omnibus humilitatem, parit ad Deum refugium, facit, ut superabundet gratia, ubi abundavit delictum.

15. Septembris.

*Nec corporis, nec passionum mortificatio differenda est in senium, quod est incertum est, et severitatem non patitur. S. Ignat. apud Nolarci.*

**Q**uod juvenis negligit, desperet senex; nec artem, nec virtutem capularis imbibet, quam vix tenui labro impubes mutavit. Lassæ vires, fracta valetudo, corpus exhaustum, nec robur labori, nec spiritus diligentia, suppeditabunt.

Si sponte sua subsidit incendium, serotina est aquarum affusio: primæ flammæ occurrendum erat. Quod in hyeme, seu corporis, seu ætatis, non caleas, laus tua non est, sed naturæ. Amurca flammam non alit, nisi pertenuem, & obscuram.

Ubi te deseruerint vitia, ubi morbis confectum corpus petulantiam posuerit, minùs est, quod castiges. Nolle peccare, cum non ampliùs possis, & velle bona præ-



præstare, quæ non amplius vales, cuius est meriti? Extrema vini fæces sunt.

Si longum passio totâ vitâ tenuit imperium, non amplius idem ponet in senio; rumpetur citius, quàm deserat homo, qui teneris ab annis vitio assuevit. Ut vixit iuvenis, ita vivet senior, ita morietur.

## 16. Septembris.

*Estò, & homines, & rationes omnes suadeant, nulli negotio dandum est initium, nisi prius Deus per preces consulatur.*  
S. Ignat. apud Lyræ.

**A**B origine pendet finis; dimidium facti, qui bene cæpit habet; bonum sperari principium non potest, nisi ab eo ducatur, qui rerum omnium principium est, & finis.

Si incipis, perfectè incipe; affines enim suis initiis plerùmque sunt fines, ab aurora reliquæ diei statum præfagire quotidianum est. Sic initia futurorum sunt prognostica, ut flores fructuum.

Ubi cæcus cæcum ducit, ambo eunt in ruinam; humanæ rationes cæcæ sunt, quis sua iis tutè confidat? Nemo suâ basi stat fir-

mior,